[REINWARDT

I O

TURALI EX INDIAE
SERUNT,

:III.

INARIAM CHEMIAE,
RALIS PROFESSIO-
ARETUR.

RUM,
TMANS,
HOS,

CASPARI GEORGII CAROLI REINWARDI

O R A T I O

D E

AUGMENTIS, QUAE HISTORIAE NATURALI EX INDIAE INVESTIGATIONE ACCESSERUNT,

PUBLICE HABITA

A. D. 3. MAJI, MDCCCXXIII.

QUUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ORDINARIAM CHEMIAE, BOTANICES, ET HISTORIAE NATURALIS PROFESSIONEM SOLENNITER AUSPICARETUR.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCXXIII.

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS

CORN. THEOD. ELOUT

ET

GOD. AL. GER. PH. LIB. BARONI

VAN DER CAPELLEN

D. D.

C. G. C. REINWARDT.

PERILLUSTRES HUJUS ACADEMIAE CURATORES!

MAGNIFICE RECTOR!

QUI JURI DICUNDO AUT CIVITATIS LEYDENSIS COMMODIS CURANDIS PRAEESTIS, QUIQUE UTRIQUE COLLEGIO AB ACTIS ESTIS, VIRI AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI!

QUOCUNQUE DOCTRINARUM ATQUE ERUDITIONIS GENERE CONSPICUI, PROFESSORES CLARISSIMI, CONJUNCTISSIMI!

LECTORES PERITISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMCUNQUE ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES CONSULTISSIMI!

STUDIOSAE JUVENTUTIS CORONA, PATRIAE SPES, COMMILITONES ORNATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CUJUSCUNQUE LOCI, ORDINIS ET DIGNITATIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Quae

Quae ex hoc loco dicere instituentibus plures et suae cuique fuere causae, a quibus sermonis peterent initium: timiditas animi, laetitia, beneficia accepta, felix rerum eventus, argumenti suscepti praestantia, muneris denique obeundi gravitas: has ego nunc habeo universas. Neque enim unquam in me fuit artis oratoriae facultas, et si quae ad eam proficiendi fuisset occasio, hanc ita abstulit septennii, quo a litterarum cultu remotus vixi, intervallum, ut idem majorem simul animo timorem incussisse mihi nunc dicturo videatur. Laetitiae causa exstat, quod a puero amatum cultumque Naturae studium, juveni deinde et viro liberius et amplius excolendi facta est potestas; et quemadmodum militiae studiosum videmus, peracto puerili ludo, in ampliorem palaestram admissum, tandem in castra et proelia eductum, laetari: ita haec mea fuit felicitas, ut indulgere animo, quocunque ejus raperet impetus, eo me conferre, et in latiori campo vires exercere potuerim; ex illa autem pugna ita abierim, ut, si non victor, tamen non plane inglorius miles existimer. Neque est quo minus gaudeam, feliciter evenisse, quod a Deo immortali saepenumero precatus sum: ut, quorum me absentem nunquam non tenuit desiderium, benivolentium hominum et carissimorum amicorum: omnes fere mihi, ex itinere reduci, salvi et incolumes sint redditi: et ita redditi, ut ipsorum salutationibus, amplexibus, laetitiaeque et conservatae antiquae amicitiae testificationibus vix semestris temporis spatium suffecerit. Postremo, ne quid honoris desit mihi redeunti in patriam et quasi triumphanti, ecce defertur ad me gravissimum in hac Academia professoris mu-

nus, quo oblato et Amplissimi Curatores benevolam suam de me opinionem declaratam esse voluerunt, et confirmato Rex munificentissimus novum beneficium in me contulit; quo denique ipse jam in summum honoris fastigium sum evectus. Tot igitur et tantorum bonorum cumulo beatus, egone divinam venerer providentiam? veneror sane; ita ut quoties ea, et quae vitae fuere fata, recordor, toties nescio quo admirationis et adorationis affectu animus perfundatur. Cui grati animi sensui exprimendo, et tot laetitiae causis celebrandis, quem ego diem potius eligam, quam hunc ipsum, quo reducem me primum ad publicum sermonem vocat muneris auspicandi officium; quem alium, quam hunc locum, qui me tandem tutissimi portus instar recepit, in quo reliquum, quod fato concedetur, vitae spatium degere decrevi; quam denique occasionem opportuniorem hac ipsa, quam, sua condecoraturi praesentia, quotquot sunt amici et benevoli auditores confluxerunt. Ut tamen nihilominus morem geram laudabili majorum instituto, quo cuique, munus Academicum auspicanti, hoc imponitur officium, ut e doctrinae docendae penu depromat quaedam et exponat: constitui pauca de iis referre, quae novissime expertus sum, in quibus diu fui, quaeque jam libenter recordor, neque ea ab obeundo munere aliena aut indigna vestris auribus, et exspectationi, ni fallor, Vestrae, responsura. Nemo enim est Vestrum, quem aut fugiat itineris illius mei in Indiam Orientalem ratio, aut qui non tantum e Naturae studio delibaverit quin intelligat, remotae illae telluris plagae, quantum fuerint ad populorum commercia, ad patriae commoda, et ad humanitatis scientiam fructuosae, tantundem augmenti Naturae studiis ex earum exploratione accessisse. De hoc igitur dicturus, non est quod verear, ne me argumentum destituat cum ad audiendum, quod spero fore, haud ingratum, tum ad scientiae fructum uberrimum. Dicam autem: *De augmentis, quae Historiae Naturali ex Indiae investigatione accesserunt.* Vos, A. A. H. H. adeste aequis animis, meque humanitate et benevolentia sublevate.

Telluris illam partem, solis orbitae subjectam, quam torridam zonam appellant, si contemplemur, aliud quid vix esse, quod magis humanam scientiam fefellerit, reperiemus. Illam, quod in veterum populorum scriptis relatum exstat, mediam, et ab orbis verticibus pariter utrimque remotam, propter solis propinquitatem esse crematam, exustam flammis, inaccessam et inhospitalem, veteres perhibuerunt. Tres terrae partes coelum abstulisse; duas cir-

circa vertices, in quibus infesto rigore et aeterno gelu omnia premuntur; tertiam exustam illam, in medio orbe positam; reliquas duas, temperatas illas quidem, et in sedem hominibus concessas, exustam inter et rigentes; eas tamen inter se non pervias, propter sideris incendium. Quod quidem veterum placitum si cum iis comparemus, quae de eadem re comperta et certiora habet aetas posterior, quid est quod miremur magis, praeclaros scientiae artiumque humanarum progressus, an praejudicatae opinionis de natura rerum vanitatem? nam illa veterum sententia ita jam explosa est, ut ejus nihil magis contrarium possit excogitari: ut, quas orbis terrarum regiones vapore torreri, perpetua sterilitate et aviditate damnatas esse, illi opinati sint, eas ipsas jam exploratum sit prae caeteris excellere omnium rerum proventu, admirabili Naturae benignitate, inexhausta fertilitate, et ab antiquissimis populis inde a remotissimis temporibus inhabitari. Ergo tantum abest, ut earum, quas temperatas vocant, zonarum finibus rerum creatarum et viventium exortus et continuatio cohibeatur, ut ultra eos demum, quid Natura ferat, ubertatem sive spectes sive varietatem, intelligi possit. Neque est quod ibidem in tanto, quam illi, terriculo solis aestum ponamus; quippe quo, multis modis temparato, omnia justo moderamine et pro suo quaeque ingenio ita sunt perfusa, ut in eo potius felicius cuncta, laetiusque vigeant. Illae igitur regiones in tanta sua feracitate hominum carerent aditu? imo habuerunt quidem et nunc etiam suos incolas habent, neque eos ita feros, ut quidem aliae gentes eos fingere solent, sed in societatem et in civitates congregatos, ad humanitatem excultos, multos adeo antiquitatis monumentis, artibus rerumque gestarum fama celebres, et religionis cultu claros. Ita sane est; caetera quidem pleraque animalia sua quaeque regio tenet suis finibus inclusa, coelum mutare nescia propter innatum Naturae rigorem et locorum necessitatem; contra hominum ea sequax et facilis natura est, ut, si eam ratio regat et prudentia, illi ad quaevis toleranda se possint comparare et in maxime contrario locorum, vitae, victusque genere salvi et incolumes existere. Quam quidem humanae naturae praestantiam admirantes quid est quod dubitemus, totam tellurem ad incolendum et mutuo commercio peragrandum patere? Id vero non solum terrarum populorumque historia docet, sed ea quoque saepenumero multarum gentium rerumque publicarum conditio fuit, ut remotiorum terrarum aditu carere non potuerint: si caruerint, id in suam perniciem acciderit. Quid enim mirum sit, in maxima humana-

rum

rum rerum inconstantia et mutabilitate non eadem perpetuo vitae bona et commoda permansisse; eorum multa in desuetudinem abiisse; alia obstructis, exhaustis, aut derivatis fontibus cessavisse; contra alia, aliunde adlata, in illorum locum esse substituta, quae et olim ignota fuerunt, et jam prorsus sunt necessaria; ita ut, si occlusis Indiae oris, illis esset carendum, communis quaedam rerum conversio et calamitas insecutura esse videatur. Deinde, cujusnam ea est patria, quae non, sive Naturae malis vexata, sive rerum publicarum molestiis conflictata sit? Nonne vidimus gentes, quae quo florentiori et laetiori rerum conditione uterentur, eo ocyus in interitum vergere, in nimiam frequentiam aucta civitate, neque jam ei alendae sufficiente agrorum aut commerciorum proventu! ex hac caussa multa mala orta esse, egestatem, scelera, domestica bella, quibus paene necessariis rerum malis illae se contriverint totae, aut ad pristinam infrequentiam redegerint! Quodsi tunc vel ii se satis felices praedicarent, qui, postquam e communi calamitate evasissent, in exilio et inter peregrinos populos vitam aegre possent traducere: quanto magis eorum fortuna laudanda est, quibus, a natali solo depulsis, ad exteras suas provincias, quamvis remotissimas, aditus pateat? ubi utcunque aliorum, sociorum tamen civium hospitio excipiantur, et quamvis mutato coelo, sedem et diversorium potius, quam patriam mutavisse videantur!

At vero hic à multis mihi occurri intelligo. Nam coeli intemperantiam objiciunt, hujusque impatientem suam naturam; dein adeundos populos reformidant, barbaros, et ad omnem humanitatis cultum indociles.

Coeli temperiem si attendamus, negari quidem nequit, immodico solis ardore ariditatem quibusdam locis inferri; frangi saepe vires corporis; ad perferendos labores excuti animum; ingenio inuri tarditatem; aërem ipsum, noxiis vaporibus foetum, labefactare valetudinem, vitaeque exitialem existere. Quemadmodum vero Naturae malis multa bona conjuncta sunt, ita quoque in iis regionibus, si quae sunt aestu exusta loca, ita ibidem non secus tanta tamen aliorum fertilitas est, tantus omnium rerum proventus; agris autem, dummodo rigui sint, post levissimum quemvis, imo nullum saepe laborem, tanta segetis copia, ut si quis ea cum Europaeorum agris velit conferre, aut ignoret illa necesse sit, aut non cogitare mihi videatur, quantis laboribus, quantis artibus agri hic sint colendi, ut agricolarum demum votis respondeant. Ergo Natura illic cum illa sua beneficentia laboris humani quoque compendium conjunctum esse voluit: imo quae saepe per se, nullo homine cogente, sine satu, cibum mini-

nistrat! quis enim palmarum aliarumque frugiferarum in India arborum sylvestrium aut ignorat usum, aut uberrimum proventum non miratur? Neque alia est sanitatis conservandae ratio. Nam si quis insalubria quaedam terrarum Indicarum littora, aut stagnantium aquarum excocto tepore foeda loca memoret, quibus pauciores miseri, tanquam in Averni lacum detrusi, detinentur, languido et tabe consumto corpore vitam aegre trahentes: nae hic mihi non secus agere videtur, quam ille, qui, neglectis campis amoenioribus, Europaeae cujusdam regionis salubritatem e fodinarum noxiis vaporibus aut e paludum squalore aestimare conetur. Quicunque vero, melius sibi consulentes, delectu locorum facto, sedem in India figunt: habent profecto regionem, cum accommodatissima coeli temperie salubrem, atque fertilitate benignam, tum etiam sede et rerum varietate amoenissimam. Nam et solis aestus paribus aequinoctii horis temperatur, et densae arborum comae opacique saltus innoxias umbras suppeditant: collesque aëreos afflatus facile admittunt. Ubi vero elatior terra est; est autem in India frequentissima; ibi montes altissimi, vastis sylvis ad summa usque cacumina cooperti, nubes colligunt, quae in imbres densatae, perennem amnium fontiumque alunt ubertatem; dein vero iis tanta omnium rerum diversitas est, ut in ejusdem montis proclivitate omnium fere terrae zonarum temperies contineatur. Attamen, his omissis, nescio quod aliud majus praesidium sit idemque efficacius ad omnes omnium terrarum injurias perferendas, et ad cujusvis coeli temperiei adsuescendos homines, quam id quod est penes homines ipsos, mentis consilium, et in omni vita victuque moderamen et temperantia. Quemadmodum enim nosmet vestitum anni vicibus, et vitae victusque morem sive officiis obeundis, sive valetudini corporis, sive temporum rationi accommodare solemus: ita sane multo magis in calidae zonae regionibus cuicunque advenae ea imponitur temperantiae necessitas et valetudinis cura, ut, iis quidem rite et prudenter observatis, nullum prorsus salutis periculum sit: contra, neglectis, impune nullus intemperantiae committat peccatum.

Barbaros denique homines si eos dicamus, qui sunt agrestes, asperi, feri, saevi, verbo, omnis humanitatis expertes: nescio profecto, quonam illarum terrarum loco illius barbariei gentes collocatae sint; certe et paucas esse existimo, et vix ullas, si ab iis recesseris, quibus ab advenis populis feritas illata est. Nam hoc satis compertum habemus, omnes, quotquot fuere fertilium in

calida zona terrarum incolae, in summa Naturae benignitate et omnium rerum affluenti copia collocati, mites et mansuetos exstitisse, societatis, tranquillitatis, pacis et mutuae benevolentiae commodis fruentes; easdem vero a nativa indole et antiquis moribus eo magis recessisse, quanto saepius aliunde adventantium populorum accessiones, fallacias, simulationes et praedationes expertae fuerint; quo quidem nonnunquam factum est, ut in mitissimam et innocentissimam gentem, aliorum, quamvis se politiores jactantium, populorum vitia, scelera et turpitudines effusa sint. Attamen pleraeque omnes illae gentes ne nunc quidem ad tantam asperitatem delapsae sunt, ut eas adire, earumque hospitio frui non liceat. Quicunque vero se ad eas conferre, earumque animos atque voluntates sibi conciliare cupiat: hic ne festinantius suas cupiditates expromat, neve in earum mores protinus animadvertat, neque novitatis intempestivum magistrum se praebeat, quemadmodum jejunos quosdam et importunos doctores vidimus, in illarum gentium libertatem, mentes, opiniones et jucundissimas consuetudines, nescio qua fanatica dementia, irruentes, quibus, dum illas stultitiae evincere student, ipsis potius stultitiae nota inusta est; sed comitate se commendent, facilitate sese iis accommodent, neque ad flectendos et corrigendos earum animos accedant nisi ii, qui acuti, natura usuque callidi, illarum mentes sensusque degustaverint, dein ingeniorum, consuetudinum, intelligentiae, linguarum denique rationem atque vim cognoverint.

Cum igitur plures sint causae, quibus multi moveantur, ut exteras terras adeant, hujus tamen necessitas Naturae studiosis imposita esse videtur. Quemadmodum enim totius cujusdam regni opes et divitiae cognosci nequeunt, nisi provinciarum, urbium, pagorum, civiumque omnium censu habito: ita quoque telluris regiones perspectas habeat oportet, quicunque Naturae plenius et penitius cognoscendae desiderio tenetur. Illam autem necessitatem ipsius Naturae jubet diversitas, per omnes terras dissipata, qua efficitur, ut cuivis regioni propria et singularis rerum forma sit et ratio, e quarum omnium demum diligenti perquisitione, exacta cognitione, et prudenti comparatione, praestantior rerum scientia effloresicit, ad intelligendas earum naturas, causas atque nexus fructuosissima. Contra, sicuti stagnantibus aquis immundities inesse solet: ita eorum, qui natalis aut singuli cujusdam loci fines non egressi sunt, quibusque contenti, se ad Naturae studia contulerunt; crassum quoddam, humile et angustum judicium est, quo cum nonnunquam liberius uti conarentur,

vix

vix dici potest, quot, quantisque ineptiis per omnem Naturae interpretationem vagati sint. — Dein perspicuum est, eas regiones potissimum esse perlustrandas, quae omnium rerum proventu sunt feracissimae. Quo autem quaevis regio aequinoctiali telluris circulo vicinior sit: eo magis ea rerum copia et varietate insignis est. Hujusmodi profecto calidioris zonae, adeoque Indiae, regiones sunt; quae cum gelu nunquam experiantur, cuncta vero in iis, calore infuso, eodemque perpetuo, et multis modis temperato, ad exserendos et continuandos spiritus vitales excitentur: prae caeteris cunctis excellunt mira Naturae solertia et potestate, omniumque, quae spectantur, rerum varietate, vigore, ubertate et quasi luxurie; dein vero, quae in cunctis dominantur, insolita magnitudine et copia. Quodsi igitur, quae in caeteris, a ferventi zona remotioribus terris, pauca, humilia, parva, et rigore contracta et depressa sunt, eadem hic spectentur plurima, maxima, explicatissima et perfecta: quidni potius, illis relictis, in his investigandis et cognoscendis omne studium collocemus? itane rivulos potius quam fontes, humilitatem magis quam majestatem consectemur? quae autem rerum, eadem scientiae ratio est; ex illis manca, et incerta: ex hic perfecta magis, grandior et ad omnem Naturae interpretationem fructuosior rerum scientia proficiscitur.

Intelligitis, A. A. H. H., me non de vulgari Naturae studio loqui; neque censeatis me in eam sententiam disputare, ut cuicunque, in Naturae studiis versanti, spretis iis, in quibus domi operam utiliter collocare possit, in exteras regiones migrandum sit. Sed de augenda magisque perficienda Historia Naturali mihi sermo est; ea vero perfici nequit, nisi exploratis et perspectis rebus omnibus, quocunque terrarum loco eas Natura genuerit; iis cunctis dein ex ordine, nexu, omniumque consensu et cognatione ita dispositis et sociatis, ut tandem concinna quaedam et omnibus suis partibus consentiens disciplina constituatur.

Quae hactenus de Indiae Natura perscrutanda in universum disputavi, ea jam in singulis breviter probare aequum est; breviter inquam, nam ad ea fusius persequenda vel dies me deficiet.

Indiam igitur, quicunque e temperatioris coeli aliqua terra advectus, ingreditur, ei, tunc vel maxime, postquam antea, quae patria sua profert, attentius observare non plane neglexerit, protinus, tum communis quaedam rerum diversitas offertur, tum eadem in singulis rebus non minus conspicua. Eam ve-

vero, si, missa experientia, solo judicio aestimes, in solis animatis rebus, in animalibus et stirpibus, consistere dixeris, contra in rigidis, inertibus, inanimatis nullam esse. Cujus tamen opinionis errorem mox observatio demonstrat. Nam ut taceam coeli dispar ingenium, mirasque in illis regionibus tempestatum ordinatas vicissitudines: ipsis adeo terrestribus rebus, solo, saxis, montibus, agris, sua differentiae nota est; deinde, si pariter ad ea, quae ex illis gignuntur, attenderis, tantus inter utraque mutuus nexus percipitur et communis necessitudo, ut, quid innascentibus rebus terra dederit, aut quid illae innascentes e terra acceperint, incertum sit.

Ita sane statuendum est, omnia et quaecunque exstant in rerum Natura, mutuo concursu ali et conflictu, neque quicquam a caeteris diremtum, per se solum, existere. Quod quamvis verissimum sit, hoc tamen commune quoddam vitium est, per omnem Historiam naturalem se diffundens, et quicquid contra moneant in arte experientissimi viri, longe longiusque serpens, ut multi, quemadmodum ipsi singula observant a caeteris disjuncta et avulsa, in quibus tractandis acquiescunt ipsi: ita quoque Naturam in singulis operari arbitrentur, neque conjunctam eorum cum caeteris communitatem intelligant. Ergo quae mortua sunt et inanimata, eorum nullum aut fuisse unquam, aut ne nunc quidem commercium cum viventibus rebus intercedere censent. Ergo fluidi maris, multoque magis circumfusi aëris tenuitatem dum cogitant, vix coelum magis, quam terrarum rigiditatem et firmitatem ab illis distare arbitrantur. At vero de illarum omnium rerum conjunctione et formarum commutatione eum vix dubitaturum esse confido, qui ea, quae in illis regionibus Natura copiosius, et potentius, et celerius operatur, contemplatus est. Nam nascentium supra terram fertilitas et ubertas ipsius terrae quam maxime alit fertilitatem. Unde vero tanta rerum ubertas, nisi, quod rigidum atque solidum terrae inest, in liquida converti: rursus, quod ex humidis et ex aëre fluidum est, idem figi et rigescere posset? Quodsi vero illorum omnium supra terram nascentium copia et magnitudo admirationem moveant: ea tamen prorsus prodigia dixeris, quae maris proventus sunt. Jam quidem non attinet referre, quot immanes belluas illud, quantamque animalium abundantiam proferat: sed indicare sufficiat vastissimas illas Coralliorum sylvas, quibus maris fundus coopertus est. Hae igitur e liquida et mobilissima maris Natura in saxeam duritiem et rigorem compacta, succrescendo aucta, e maris fundo in siccum sublata, rupibus tandem adduntur, mari tanquam

quam remunerante terrae continentis munera. Ergo hujus saxeae molis ortum, e marinis ductum animalibus, qui non monstrante Natura vidit, illam ab aeterno immutatam riguisse judicabit.

At vero nondum me a multis, qui contra dicunt, dimissum sentio. Maris quidem et continentis terrae communia quaedam statuunt, ita tamen, ut ex hac in illud multa, raptu fluctuum, et fluminum violentia, saxorum attritu, montium ruinis, deferri concedant: contra, alia vicissim tolli in altum, terrisque e maris fundo addi reddique, non concedant. Ergo cum in elatis montibus multa, quae marina olim fuere, in maris profundis manifesto generata, viderint, ad nescio quae diluvia et universum quoddam telluris mare confugiunt, quibus vel altissima montium juga mersa fuissent; cum autem deinceps tanta aquarum amovenda vastitas molestiam in explicando crearet: illas in intima telluris, si quae sint, antra et gurgites deduxerunt. Quam quidem rerum explicationem quomodo illi veris Naturae consiliis factisque accommodent, viderint ipsi! Hoc unum dico, cum terram e maris fundo tolli negent, observationum inopia factum esse, ut in explicanda rerum Natura ex sua mentis humilitate ipsi sese tollere non potuerint. Huic autem argumento, in quo jam versamur, conjuncta est quaestio, gravis illa et saepius vexata, de terrae motibus deque locis ardentibus. Quae quidem nonnunquam juncta Naturae miracula uti vel maxime hominum admirationem excitaverunt, ita quoque multi in illarum interpretationem omne mentis acumen et cogitationes contulerunt. Attamen cum plerique ab illis Naturae spectaculis procul abessent, non est quod miremur, eos omnes, caeteroquin sagacissimos, et in rerum causis inveniendis felicissimos, in hac una re ita esse halucinatos, ut eorum explicatione nihil a vero sit remotius. Hoc tamen mirari subit, vel eos, qui Aetnaeos ignes et Campaniae strages viderunt, vix sanius de re tanta judicavisse; ut vere PLINIUM dixisse fatearis: *furorem esse, mensuram violentiae vitium, quosdam animo cogitasse et prodere ausos.* Illi igitur, qui ardentium locorum causas se invenisse jactant, nescio quos foculos sibi fingunt, aut quas ad ignescendum aptas mixturas callide componunt et intra terram reponunt cogitatione, ut ex iis terrestres flammas ali non dubitent. Quae quidem explicationes, si ad ea exigantur, quae in utraque India Naturae sunt maxima et admirabilia spectacula, adeo focum redolent, ad quem eae excogitatae sunt, ut potius Vulcani officinae et Cyclopum pugnae fidem addideris. Imo vero illa,

quanquam animus meminisse horret

in Indiae oris spectanda sunt, immensae voragines, aeternas flammas, nubes atras et candentia saxa eructantes; sylvae vastissimae, in atrum carbonem exustae; agri obruti favillis, perustis lapidibus; fragosi vaporum, per saxeos meatus furentium, efflatus; lacus in summis montibus extensi, lacteo quidem latice conspicui, at eodem acerrimo lethales, ex suppositis profundisque ignibus exaestuantes; imo, quod uti dictu horrendum, ita accidisse verissimum est, ingenti, ex imis terrae sedibus erumpentis spiritûs violentiâ, eversae totae et obrutae regiones; hominum sedes ipsique homines, tuguria, armenta, evulsae radicitus sylvae, una cum saxis intermixtis vibrata in auras!

Dein tantae violentiae sedem si spectes: illa profecto ex imis et profundissimis terrae penetralibus exsurgit; latissime, per vastissima regna extensa, sive mare incumbat sive continens terra, perinde est; ex ea maris ferventis aestus, fluctusque sublati, quaquaversum effusi, cuncta inundantes et rapientes: eâ ipse maris fundus supra undas attollitur, nunc flammarum, ex ipsis fluctibus assurgentium, praebens spectaculum, nunc idem, altius emersus, in rupes et in sinuosa montium juga rigescens; haec eadem violentia est, quae per subterraneos meatus procedens, terras concussu vexat, sedibus movet, nunc coacta et violentior ex incumbente onere, nunc, superatis carceribus, in spiracula prorumpens, incendiorum eructans nutrimenta. Haec igitur et tanta Naturae opera atque vires, quibus nihil in orbe antiquo est, quod vel comparari possit, si quis in iis terris, ubi ea fiunt, oculis fuerit contemplatus et mente complexus: ille unus de terrarum commutationibus et eversionibus judicium ferat; eum demum fas sit ad castam Naturae interpretationem accedere.

Intellexistis quodammodo, A. A., Indiam tantum abesse ut ea non vel in rebus inertibus et inanimatis multa Naturae scrutatoris observatione digna, et a nostris diversa, obferat: ut illa potius suo vitali spiritu moveri videantur. Neque illorum cum viventibus nexum et communitatem negaveris. Nam quod quamcunque regionem praecipue ornat; quod amoenissimos Naturae rerum creat aspectus; quod coeli injurias temperat; quod denique ineffabiles rerum animatarum diversitates et varietates profert: id omne haec una terrae diversitas est. Illa in maris planitiem adaequata et depressa, mirae formae et excelsitatis arboribus superbit, fervidiori aestu gaudentibus, utilissimarum fru-

gum

gum copia feracissimis; dein leni ascensu sylvarum vastum aperit theatrum, in quibus, quidquid Natura habet ubertatis et abundantissimae copiae, spectandum exponitur. Altius insuper elata, in mitiori coeli temperie, novis iterumque novis rerum formis conspicua: donec ea tandem in summum montis cacumen assurgat, quod si conscenderis, in orbis cardini vicinum locum te translatum dicas, certe coeli rigore, nimborum gelido afflatu, stirpium depresso et constricto habitu, animalium absentia, loci solitudine, et sero tandem deficiente in creando Natura, vix diversum. Jam vero me, A. A. H. H., in illorum temporum memoriam abreptum sentio, quibus praesenti mihi illa usurpare sensibus, mente cogitare contigit, insolita et prorsus admirabilia Naturae spectacula, quae neque eorum, qui illa non viderunt, cogitatione comprehendi, neque eorum, qui ea experti sunt, vel disertissimorum hominum oratione satis digne exponi queunt. Quemadmodum qui superbam quandam aedem sacram ingressus, templi vastitate, imaginum aspectu, loci tranquillitate, sanctisque concentibus permovetur, ejusque animus ad magnificentiam et ad coelestium rerum cogitationem erigitur: ita et ille affectus est, qui primum ingentes illas Indiae sylvas ingreditur, supra omnem montium declivitatem qua latissime extensas. Quodsi antiquiores Germani vel unius quercûs, Indi vel unius ficûs arboris, in sylvosam vastitatem expansae, majestatem ita mirati sunt, ut utramque religioso cultui adhiberent, e frondibus tanquam e propriore numinis sede divinum accipientes afflatum: quo igitur eum animo esse censeamus, qui frondosissimarum illarum regionum umbris excipitur? Ille sane, nescio quo singulari sive horroris sive admirationis sensu corripitur, omniumque, quae jam spectantur, communi et confuso affectu obruitur, tanto magis, quanto illorum causae altius latere videntur. Idem deinde earum aut obscura praesensione excitatus, aut suam earum ignorantiam moleste ferens, singula perlustrat, tamen, quae potissimum exploret, in tanta rerum multitudine et varietate incertus est. Jam enim ad insolitam omnium rerum magnitudinem obstupescit; dein formarum varietatem et copiam miratur, ut iis omnibus cognoscendis ipsi paene desperandum sit. Postea de omnium origine cogitat, quibusque materiis modisque tantam rerum abundantiam Natura operetur et machinetur, sive e rigidis, saxeisque terrarum, sive ex aethereis circumfluentibus, sive ex utrisque conflictantibus versisque principiis; quibus modis fiat, ut eadem subacta materies jam in durissima ligna coalescat, nunc in tenerri-

mo

mo flore superbiat, dein in diversi succos ingenii, sive salubres, sive medicatos, sive acri et potenti veneno exitiales excoquatur. Neque parum hoc cogitationem vexat, quorsum haec cuncta evadant, quae in sylvis antiquissimis, iis tamen perpetua juventute florentissimis, celerrimo incremento densissimis, generantur. Jam vero ille, qui haec cuncta scrutatus et meditatus est, non potest, quin ad intelligendum quodammodo omnium eorum nexum et consensum perducatur. Idem non mirabitur tantum, sed subintelliget, rigentem illam in rupibus, sublatam e maris profundis, subactam dein aestu sideris, solutam humoribus et aëre, in viventium innumeras formas atque corpora conversam, ex interitu saepius renatam materiem, reverti ad pristinam originem, in novas dein concordias et discordias abituram.

Haec cuncta igitur, A. A. H. H., quae, jam admonente ruentis horae angustia, in summam contracta exposui, quae tamen in singulis fusius persequi facilis labor esset: haec igitur si quis ingenio, studio, arte tractaverit, ab eo profecto artis augmentum exspectemus. Imo habuit sane maxima eaque praeclara augmenta Naturae studium ab iis qui in illis, investigationibus vixerunt, et habebit ab iis, qui futuris annis saeculisque ad Naturae thesauros explorandos Indiam perlustrabunt. Evolvamus quaecunque de Historia Naturali volumina conscripta sint: nullam in iis terrarum regionem laudatam inveniemus, quae tantam, quantam India, materiem, ad illa augenda et exornanda contulerit. Sive enim formarum diversitates spectes, constantiores illas, quas genera et species appellare solent; earum innumerae e solis utriusque Indiae oris innotuerunt; sive omnium formarum similitudines et dissimilitudines, cognationes, et affinitates quaeramus, tum formarum et materiae convenientias et discrepantias: utrumque id, quorsum jam laudabili consilio et instituto omnium, ratione in iis studiis versantium, labores et conatus conferuntur, quibusque tandem spes est fore, ut e confusa illa atque inordinata rerum mole expediamur, quae ad onerанda potius quam ad ornanda Naturae studia valere videntur: illud igitur studium, illa praestantior rerum scientia et totius artis tanquam scopus atque meta, ubinam fructuosius coli perficique possit, quam in iis omnium rerum copia abundantissimis regionibus? — Dein quo magis etiam patescat, quot et quanta augmenta Naturali Historiae ex dissitarum regionum investigatione accesserint, conferatur illa cum antiquiore, qua ea olim, vel adeo summi LINNAEI aetate fuit, artis conditione: fateamur necesse est, eam tum communibus,

tum

tum vero vel maxime peregrinatorum studiis ita esse amplificatam, expurgatam ab erroribus, ineptiis, vanisque commentis: vindicatam a nescio qua puerili et sterili rerum tractatione, ut ea jam quam longissime immortalis illius viri, quam ipse palam professus est, exspectationem superaverit.

At vero, illa, quanquam praeclara sunt, ex omnibus tamen illis laboribus, quos ad exterarum terrarum studium multi impenderunt, nulla unquam aut nobilior aut uberior seges effloruit, quam ea quae ad ipsos homines pertinet hominumque historiam. Mira quidem et efficacissima Naturae potestas est in augenda generis humani varietate et mutatione. Eas cum innumerae causae efficiunt, tum potissimum coeli temperies, locorum diversitas, victus, necessitates, vitae ratio; vitae coelique ratio, tum aliae Naturae injuriae, egestas, morbi, pestis, saepe usque ad deformitatem tollunt, quicquid in humano corpore pulchrum et venustum est; longe plura, quae foeda sunt in hominibus, adferunt consuetudo, degeneres ritus, scelera, mentis aberratio: nam ne ipsius quidem mentis et rationis praestantia ab illa Naturae varietate immunis est. Attamen quantumvis multiplex, varia, et inextricabilis humana Natura sit; ex omnium tamen per totum terrarum orbem dispersarum gentium indagatione et cognitione haec generalis scientiae summa colligitur: unum, ubique terrarum, mente et ratione praeditum, genus humanum esse, idemque eo ipso a brutis animalibus maxime distinctum; in hoc uno sibi constare Naturam. Ergo jam explosa sunt, quae olim de sylvestribus, de feris et semiferis hominibus, de cognata et conjuncta hominum et bestiarum quarundam natura fabulati sunt rerum ignari et creduli homines, qui neque naturas hominum, neque omnem vim atque caussas humanitatis perspexerunt; ergo jam ridemus eorum argutiolas, qui vel hac nostra aetate, in clarissima scientiae luce, tanquam sua se humanitate abdicantes ipsi, quaestionem injiciunt de communi quadam hominum et nescio cujus bestiolae origine. At vero jam et ii sanius judicent, et superbiam tollant, qui se suamque gentem praestare caeteris, exteras gentes novercam Naturam habere arbitrantur.

Satis me dixisse arbitror, ut quodammodo intelligatur, quantos fructus Naturae studia ex Indicarum terrarum perlustratione reportaverint. Quibus, quantulacunque ea sint, quae meae de rerum Natura scientiae ex superiore illo itinere accesserint, tamen, si mea experientia fidem faciat, hoc vere affirmare possum, eorum omnium, quae ad amplificandum Naturae studium valeant, uberrimum fontem in iis, quas peragravi, Indiae terris existere, tum ve-

ro ea longe plura et majora iis, quae aut illis meis verbis expressi, aut quae ego ante abitum, suscepta de iis exspectatione, cogitaveram. Ergo jam non est, quod me quidem suscepti illius itineris poeniteat. Primum enim gratissimum mihi illud accidit, ut ante hos septem, et quod excurrit, annos, Amplissimi illi et gravissimi triumviri, ad capessenda in Belgarum India summi imperii gubernacula, cum Augustissimi regis auctoritate et potestate Legati, quorum studiorum meum amorem cognovissent, in iis tantum me valere arbitrati sint, ut benevolae suae opinioni etiam mei commendationem coram rege adjungerent, qua illi effecerunt, ut regio decreto gravissima mihi mandaretur provincia eorum omnium tractandorum, quae ad illarum regionum Naturam investigandam, tum ad agrorum in iis cultum artesque pertinent. Quae quidem honorifica vocatio, si non exoptatissima mihi accidisset, aut si, an ei obtemperarem, vel dubius haesissem, aut contraria suadentibus rationibus aurem praebuissem: profecto ingenium et propensio animi, quae antea palam eram professus, defecissent; certe omnium, quibus ego non plane eram ignotus, opinionem fefellissem. Ergo, libenter accepta missione, laetis profectus auspiciis, secundisque velis ad Indiae oras adpulsus, per sex annos istic vitam degi, plerasque Belgicae ditionis insulas peragravi, Naturae studiis, quantum quidem per diversa multiplicis muneris negotia licuit, operam dedi. Ad quae quanquam non plane imparatus accesserim, tunc tamen demum Naturae cognovi magnitudinem, pulchritudinem et admirabilem varietatem. Nam ubique, et ad quemvis gressum, cuicunque paulo attentius ad Naturae opera attendenti, novum quid, sensus mentemque feriens, notatu dignum obfertur, ad scientiam fructuosum, ad vitae usum accommodatum. Quod quamvis in universum de iis regionibus praedicandum sit, tamen omnibus praestantior excellit Java insula, pulcherrima terra, majorum gloria, vicinorum populorum invidia, Belgicae Coronae quasi gemma praetiosior, mihi inprimis cara et celebranda, tum propter Naturae in ea majestatem, quae tanta est, ut in ea una suum opus gaudere Natura, illa una ad summam et absolutam Naturae cognitionem satis esse videatur; tum propter incolarum mite ingenium, insontes ritus, facilitatem, hospitalitatem, industriam: quae equidem tanto magis expertus sum, quanto illi a littore degunt remotius, in quo saepe, uti maris, ita humanitatis ejectamenta colliguntur; tum denique propter bonorum, quae ad me ipsum pertinuerunt, memoriam, quorum omnium, sive ea a munere, sive a studiis, si-

ve

ve ab hominum commercio profecta sint, nulla prorsus recordatio est, quae non meam illorum temporum felicitatem repraesentet. Nam in munere exsequendo, ipso per se suavissimo, in persequendis studiis, illis a tenera aetate meis deliciis, cuncta illa parata habui, auxilia, subsidia, sumtus, manus, officia, consilia, quae vel vere regia munificentia dare, vel benevolentia praestare possunt; ita prorsus, ut putem vix unquam alios, iisdem deditos studiis, aut feliciori sorte usos, aut ad officium explendum auxilia copiosius, aut ad excitandum animum benevolentiam efficacius fuisse nactos; ita denique, ut, si ea successu et fructu aliquo caruerint, id mea unius culpa factum esse censeatur. Sed de eo penes alios sit judicium. Hoc certissimum est: quemadmodum ea Belgarum gloria est, ut per eos primum Indiae Historia Naturalis informata et constituta sit; quid enim aliae nationes vel nunc habent, quod elaboratissimis immortalium virorum RUMPHII et RHEDII voluminibus comparari possit? ita quoque Rex munificentissimus eandem Veterum gloriam, illa, quam in me conferre dignatus est, splendide et liberalissime adjuta missione, confirmatam, assertam et vindicatam habere voluit. Tanta autem illa mea, quam praedicavi, in India felicitas, tanquam e communi quodam fonte, manavit a magnifico illo patrocinio, quo me tueri, ab insigni illa benevolentia, qua me amplecti non dubitarunt viri humanissimi, ELOUTIUS et CAPELLENUS, quibus acceptum referendum est, si quid mea operâ effectum sit; qualecunque id sit, quod vel rerum scientiam juvare, vel aliis proficuum esse possit. Illorum prudentissimorum virorum exemplum, si tamen exemplo opus sit, argumento est, principes viros, quo ipsi sint litterarum et bonarum artium studiosiores, eo magis strenuos et sinceros earundem patronos existere.

Foret quidem nunc, finita illa missione, tanti meorum studiorum patrocinii desiderium, nisi illud integrum mihi denuo oblatum esset vestra benevolentia, *Amplissimi hujus Academiae Curatores!* quibus ego idoneus visus sum, qui partes susciperem Celeberrimi, Vestri quondam, BRUGMANSII, quem dum appello, et Vestros et omnium dolores renovare invitus cogor, et insigne hujus Academiae ornamentum desidero ipse. Nam ad summum animi dolorem, quem ego absens percepi ex morte, paucorum quidem, eorum tamen optimorum mihique carissimorum capitum, hujus quoque praestantissimi viri acerbum fu-

nus accessit. Equidem postquam ei inde a multis annis notus essem, communia studia et juncti saepe labores majorem mihi cum eo consuetudinem fecerunt, quae deinde eo usque ad familiaritatem accessit, ut, cum in Indiam abirem, uti frater fratrem, ita ille me monitis, consiliis, votisque dimiserit et prosecutus sit. Itaque cognovi imo vero et miratus sum virum optimum, praestantissimum, qui acutissimi ingenii, summae et multifariae doctrinae et indefessi studii laudem morum suavitate, eximio pulchri sensu, tum vero incomparabili quadam in docendo et disputando facilitate et venustate cumulaverat. Huic tanto viro, acerbissima et inopina morte Vobis rapto, cum successorem quaereretis, illud statim judicavistis, illi, non dicam parem, sed vel comparabilem inveniri neminem. Quod autem me elegistis, id quidem me conturbaret vehementius, nisi ipsa rei difficultas animum mihi adderet, cogitanti, quod mihi eveniet, ut incomparabili BRUGMANSIO similem me praestare non possim, idem caeteris quibuscunque, quamvis eruditis et expertis viris, eventurum fuisse. Ad benevolam autem illam existimationem, qua me evocavistis, dein accessit ea, qua reditus mei moram patienter tulistis, longa exspectatio: tum vero etiam, interea ne cathedra vacaret, provida cura, qua quidem studiosorum et mea ipsius commoda conjuncta esse humanissime voluistis, me vero etiam insigni beneficio devinxistis. Quanto autem magis intelligo, Vos aliqua mei fama permotos fuisse, ut justo majorem exspectationem de me susceperitis: eo impensius Vos certiores esse cupio, illam non a praecipua quadam doctrinae copia, neque a cumulata superioris muneris mei functione, sed potius a studiorum amore, et ab eorum, multis probata, exercitatione, tum vero etiam a multorum benevolentium hominum commendatione fuisse profectam. Itaque vos enixe rogatos volo, ut, quam mihi perspectam habere voluistis, benevolentiam, eam mihi servetis: equidem ut ea non indignus esse, ut immortalis BRUGMANSII exemplar et vestigia nunquam deseruisse Vobis videar, omnibus viribus annitar.

Neque minus ea gaudiorum causa mihi celebranda est, quam vester ordo obfert, Professores Clarissimi, Collegae conjunctissimi. Vos quidem cunctos et singulos dum cogito, nescio sane, utrum magis mirer insignem doctrinae copiam, qua antiquam hujus Academiae gloriam tuemini, qua nunquam interituram scientiae et virtutis famam estis assecuti, an singularem illam, qua me excepistis et prosequimini, humanitatem, meam denique ipsius felicitatem, cum mihi nihil eorum deesse velitis, quae vel ad scientiam fructuosa

vel

vel ad vitam suavia esse possunt. Quid mihi laetius aut exoptatius potuit accidere, quam ut, quos olim in Harderwicena Academia Collegas habui, conjunctissimos, quos dein longo annorum intervallo absentes nunquam non desideravi, eos jam recuperaverim, iterum Collegas, amicos optimos, KEMPERUM, CLARISSE et KRAUSIUM! quid enim, amicissime KEMPERE, conjunctissimae amicitiae, et quasi fraternae caritati, quae inde a multis annis inter nos exstitit, quid possit accedere, quam hoc unum, quod mihi jam est in spe et votis, ut quo loco nunc tandem sistimus, post utriusque varia fata et discrimina, in eo dehinc una maneamus, in eo indissolubilis consuetudinis et familiaritatis felicitate perfruamur.

Tu quoque, conjunctissime CLARISSE, cum mihi antea amicissimus fuisses, nunc etiam carior redditus es, tum propter servatam antiquam amicitiam, qua eadem me absentem prosequi non destitisti, tum propter incredibilem in omni Doctrinae genere scientiae copiam, qua factum est, ut in meorum adeo studiorum societatem jam pridem veneris, tum vero his novissimis annis, quibus tu, a sanctis et gravissimis tuis studiis digressione facta, in omnem, qua late patet, Historiam naturalem exspatiatus es, et in ea studiosis ita viam praeivisti, ut, sicuti meus adventus tua exspectatione serior accidit, ita idem jam supervacaneus esse videatur. Quas meas partes cum et tu, et in Chemiae cathedra amicissimus KRAUSIUS, quamdiu per ejus valetudinem licuit, ambo vero potissimum mei amore ducti, exceperitis, eo quidem mihi gratissimo beneficio antiquam illam, qua in me semper fuistis, amicitiam cumulavistis. Te vero, Cl. SANDIFORT, indictum dimittere, grati animi vetat sensus. Tu, inde ab eo tempore, quo acerbissimum vulnus huic Academiae BRUGMANSII morte inflictum est, occupatissimis tuis studiis Botanices tradendae provinciam adjunxisti, dein Horti Academici curam ita gessisti, ut ille non tantum integer et illaesus, sed auctior etiam et exornatior exístat. Hoc tuum, et tot alia, quibus me magis magisque obstringis, humanitatis officia ita me scias aestimare, ut equidem nihil prius habeam neque antiquius, quam ut tuam promerear atque colam amicitiam. Neque minus tua, Cl. VAN DER BOON MESCH, mihi laudanda sunt in hanc Academiam merita, qui gravissimae arti Chemicae doctorem in hunc usque diem deesse noluisti. Tu quidem cum illius muneris strenua functione, tum vero caeteris tuis egregiis doctrinae documentis eam justissimam famam assecutus es, ut te, ejusdem artis Professorem, Amstelodamum evocare

Illustris illius Athenaei Curatores non dubitaverint. Ergo tibi, mihi istic successori, illud munus gratulor: et quorum bonorum mihi ex illa statione suavissima recordatio est, ea ut tibi cumulatissime contingant, ex animo opto. Vos omnes autem, Viri Cl., etiam atque etiam rogo, ut qua me excepistis, eam mihi servetis, benevolentiam et amicitiam. Habebitis me Collegam fide et animi integritate sincerum, ad quaevis observantiae, obsequii et grati animi officia paratissimum, Vestrae amicitiae studiosissimum.

Tandem vos etiam compello et saluto, Nobilissimi Juvenes, exoptatissimi commilitones. Equidem si ea studia, quibus tradendis jam admoveor, aut impensius nunc laudarem aut multis verbis commendarem, foret sane quod de diligentia, qua in ea incumbitis, detrahere aut dubitare viderer. Nam eam satis jam perspectam habeo, tum ex illorum, qui mearum partium vicario munere functi sunt, et ex aliorum multorum testimonio, tum vero in pluribus vestrum cognovi ipse. Si quid tamen meae vitae, quam in iis studiis vixi, experientia valeat et testimonium, hoc verissime affirmare attinet, ad communem vobisque perspectam illorum utilitatem, quae in augenda rerum utilium scientia cernitur, hunc etiam eorum fructum accedere, ut illa eo animum affectu induant et informent, qui tum ad ipsius animi tranquillitatem et mansuetudinem, tum ad quietae et placidae vitae studium, tum ad conciliandam optimorum hominum benevolentiam, tum denique ad Summi Numinis cognitionem et amorem fructuosissimus est. Itaque ego tum demum de me egregie factum esse arbitrabor, cum id effecero, ut vos ipsi, experientia edocti, idem hoc pretium illis studiis statuatis. Ad hoc igitur, et ad studia vestra quovis modo adjuvanda, paratissimum me semper habebitis.

D I X I.

VIRO AMICISSIMO,

C. G. C. REINWARDT,

Botanices, Chemiae et Historiae Naturalis professionem in Academiâ Lugduno-Batavâ feliciter auspicanti.

BRUGMANSI manes, Naturae atque umbra ministri,
  Pandere consuerat cui sua dona lubens,
Si, jam Coelicolum felici sede receptum,
  In qua, mortalem quae latuere, patent,
Dilecti quondam tangat te cura Lycei,
  Quod tantâ orbatum nunc quoque luce dolet,
Leidensis certe gaudebis sorte Minervae,
  Extinctum cui jam, te pereunte, decus,
Eöis referet REINWARDTUS, sospes ab oris,
  Ad pia sollicitae vota redux patriae:
REINWARDTUS, docto dudum celebratus ab orbe,
  Aemulus ut laudis, Umbra beata, tuae.
Salve quem solum BRUGMANSIUS ipse, reliquit
  Quam moriens, cathedram condecorare velit!
Salve iterum, tellus quo Belgica cive superbit,
  Lugdunum et merito tollit ad astra caput!
Te duce, Naturae sacris operata juventus,
  Pectora cui studii nobilis ardor agit,
Illius abstrusas penetrabit ad usque latebras,
  Ingreditur firmo dum pede laudis iter.
Per te Museum, praeclaro Principe dignum
  Munus, quem celebrat Belgica grata patrem,
Insolitis auctum, quas profert India, gazis,
  Prae stellis veluti candida Luna micat,

Lu-

Luce coruscabit, cui Gallus, cuique Britannus
  Invideat, proprias tollere suetus opes.
Scilicet ille ardor, divino semine natus,
  Nobiliorum animi cujus ab igne calent,
Qui te, Naturae studio clarissime PLINI,
  In Vesvi fauces abstulit ignivomas,
Quo, meliore usus fortunâ, HUMBOLDTIUS, ille
  Inclyta Germani gloria lausque soli,
Ventorum sprevit rabiem, et graviora pericla,
  Barbaries hominum quae subeunda dabat,
Et nubes superans nunc, mox in viscera terrae
  Descendens, late qua patet orbis, opes,
Quas habet immensas rerum natura, stupenti
  Intulit Europae, nomen ad astra vehens:
Par, REINWARDTE, animum stimulavit fervidus ardor,
  Oceani intrepido temnere corde minas,
Naturae Eöis procul ut scruteris in oris
  Miranda, et patriae commoda multa feras.
Nec coeli damnosa lues, nec saeva ferarum
  Lustra, aut fallaci subdita flamma solo,
Cuncta peragrandi studium potuere domare,
  Audentem frenis vel cohibere metus.
Quis, Patria o felix, quis, terque quaterque beata
  Leida, tibi a tanto cive paratus honos!
Hunc tibi Nestoreos conservet Numen in annos,
  Soletur clades qui, Schola docta, tuas!
Atque, ubi jam sero meliori redditur orbi,
  Quo vitiis animus non maculatus abit,
Sint patri similes nati, virtute levare
  Qui possint luctum, Patria cara, tuum!
Floreat extremum sic stirps REINWARDTIA in aevum!
  Auguror: ominibus annuat ipse Deus!

M. SIEGENBEEK.